

30 viridem citus adit Idam properante pede chorus.
 furibunda simul anhelans vaga vadit, animam agens,
 comitata tympano Attis per opaca nemora dux,
 veluti iuvanca vitans onus indomita iugi:
 rapidae ducem secuntur Gallae properipedem.
 35 itaque, ut domum Cybeles tetigere lassulae,
 nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
 piger his labante langore oculos sopor operit:
 abit in quiete molli rabidus furor animi.

40 Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
 lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,
 pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
 ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit:
 trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.
 ita de quiete molli rapida sine rabie
 45 simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
 liquidaque mente vidit, sine queis ubique foret,
 animo aestuante russum redditum ad vada tetulit.
 ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
 patriam allocuta maesta est ita voce miseriter:

50 'Patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,
 ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae
 famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
 ut aput nivem et ferarum gelida stabula forem